

*impetraverit litteras beneficiales, quid juris?* — Resp. II. Quod si vero inter duos impetrantes non appareat ex data, nec alio modo, quis primo impetraverit litteras ad beneficium in eadem Ecclesia vacans, vel proxime vacaturum, tunc opus est notabili distinctione, quæ refertur in c. *Duobus*. 14, h. t. in 6, atque amplius declaratur per Glossam, et doctores ibidem.

106. *Prioritas ejusmodi, unde possit apparere?* — Notanter tamen additur, « Quando non appareat ex data, etc. » ut puta, quia utriusque litteræ eodem die sunt impetratæ, atque expeditæ, nec aliunde constat, quis fuerit primus impetrans: nam si de hoc constaret, sive ex eo, quod unum rescriptum dicatur, v. g. « Datum Kalendis januarii ante Tertiam; » et alterum, « Datum Kalendis januarii post Vesperas » (quod tamen specificare non est in usu) sive per testes, aut per confessionem propriam appareret, quod unius petitio eadem die fuerit lecta, et per Papam admissa ante alteram; jam locum sibi vendicabunt dicta concl. præc. n. 96, ac anteferri debent rescriptum primo impetratum. Glossa in c. *Si a sede*. §. *Nec appareat de Præbend.* in 6. Remanente autem dubio de prioritate litterarum, onus probandi incumbit ei, qui suas litteras prius fuisse expeditas affirmat. Imola in c. *Relatum*. n. 8, de *præbend.* Layman cit. c. *Duobus*. n. 4, h. t. in 6. Nam generale est, quod affirmanti incumbit probatio. L. 2. ff. de *Probatione*.

107. *Præfertur tunc is, cui Papa contulit beneficium, si hoc alteri non contulit, sed solum ab aliis conferri mandavit.* — Verum quando inter duos impetrantes non appareat ulla prioritas in data, tunc imprimis considerandum est, utrum Papa uni eorum contulerit beneficium talis Ecclesiæ, puta canonicatum, mandando, ut de facto installaretur, et præbenda ei conferretur; alteri vero non sic contulerit canonicatum, sed mandaverit solummodo aliis, ut puta canonicis, vel datis ad hoc executoribus, ut ei conferrent canonicatum. Atque in hoc casu præfertur ille, cui Papa contulit canonicatum, haud obstante, quod alter prius litteras præsentaverit eis, ad quos spectat receptio canonicorum, et ab eis jam in canonicis fuerit receptus. text. clar. cit. c. *Duobus*. §. 4.

108. *Quod si unicuique contulit, vel neutri, præfertur qui prius præsentavit rescriptum. Quid si ambo in præsentando concurrant?* — Deinde dato casu, quod Pontifex neutri eorum vel

utrique canonicatum contulerit: tunc (ex quo in gratia sunt æquales) is qui primo præsentavit rescriptum apostolicum, erit potior in præbenda. Quod si forsam ambo in præsentando concurrant, tunc illi, ad quos spectat canonicorum receptio, et collatio præbendarum, vel eorum major pars, ex eis alterum quem voluerint, eligere tenentur. Et hoc electo, alter penitus carebit impetratis, nisi ex tenore litterarum expresse appareat, quod Pontifex utrique eorum providere voluerit; prout cit. c. *Duobus*. §. 2, et 3, etiam clare decisum habetur: alioquin autem, et in dubio, Papa non censetur velle gravare eandem Ecclesiam super receptione duorum, ut dictum n. 95.

109. *Quis juris, si unus impetret litteras beneficiales a Papa, alter ab inferiori?* — Et hæc tenus dicta præcipue procedunt de duobus a Papa impetrantibus litteras ad beneficium in eadem Ecclesia, nec appareat de earumdem prioritate. Quod si vero unus impetret litteras beneficiales a Papa, alter vero ab aliquo inferiori, v. g. legato Papæ, aut episcopo: tunc imprimis est attendendam, an agatur de sola receptione alicujus in beneficiarium, v. g. in canonicum, qua acquiritur solummodo jus ad rem, sive ad beneficium, puta canonicatum obtinendum; vel an etiam intervenit actualis collatio beneficii, qua confertur jus in re, sive in beneficio.

110. *Si agitur solum de jure ad rem sive ad beneficium acquirendum, tunc semper præfertur receptus a Papa.* — In priori casu, ubi agitur dumtaxat de jure ad rem, sive ad beneficium obtinendum (quale solummodo acquiritur ex mandato de providendo, c. *Si postquam*. 13, de *Præbend.* in 6, ac notat ibidem Barbosa n. 2. citans alios; item ex gratiis expectativis, quas tamen nemo amplius concedere potest præter Romanum Pontificem. cap. II, de *Concess. præbend.* et c. *De testanda*. eod. in 6, juncto concilio Trident. sess. 24, de *Reformat.* cap. XIX. Item et ex præsentatione alicujus ac hujusmodi). Ubi, inquam, dumtaxat agitur de jure ad rem, sive beneficium obtinendum, certum est, quod semper præfertur ille, qui est receptus a Papa: sive dein sit dubium super prioritate factæ receptionis per Papam, et inferiorem; sive clare constet, quod receptio per inferiorem antea fuerit facta, text. clar. c. *Hic qui*, de *Præbend.* in 6, estque dictum num. 103.

111. *Quando intervenit actualis collatio be-*

*neficii præbens jus in re, quis præferatur?* — Cæterum in casu posteriori, sive quando intervenit actualis collatio beneficii, præbens cuiquam jus in re, sive in beneficio: ut si uno eodemque die hinc a Sede apostolica, vel ejusdem auctoritate uni; illinc autem ab ordinario cuiquam alteri, idem beneficium conferatur, nec appareat, quæ collatio fuerit prius facta (nam si de hoc constaret, is præferretur, cui beneficium prius collatum, ab eoque acceptatum fuit, arg. c. *Si a Sede*. 31, de *Præbend.* in 6), tunc rursus est distinguendum, an alter ex duobus illis impetrantibus possideat beneficium, nec ne. Et si quidem alter eorum jam est in possessione beneficii, præfertur is, qui possidet: quia « in pari causa potior est conditio possidentis, » juxta reg. 65. jur. in 6. Quod si neuter possideat, præfertur is, cui Sedes apostolica, vel ejus legatus, contulit beneficium; idque propter ampliorem conferentis prærogativam, prout expresse decisum habetur. cit. c. *Si a Sede*.

112. — *Rescriptum gratiæ, sicut et privilegium, non tollitur per aliud, nisi de eo fiat mentio.* — Queritur III. Quid dicendum de aliis rescriptis gratiosis, ipsisque privilegiis, et quodnam eorum sit præferendum, si plura a diversis sunt impetrata circa eandem causam? Resp. Rescriptum gratiæ, sicut et privilegium prius concessum, non tollitur per secundum privilegium, aut aliam contrariam dispositionem, sive rescriptum, nisi de ipso faciat mentionem. Ita Glossa magna cap. 4. h. t. et ibi Abbas n. 6, et Felinus n. 10, Layman, lib. I, tract. IV; cap. XXIII, n. 27, et alii. Idque patet ex c. *Cum ordinem*. 6, h. t. et c. *Veniens*. 19, §. *Chrisma de prescript.* ibi: « Non obstante privilegio Clementis papæ, per quod privilegiis suorum prædecessorum non extitit derogatum, cum de illis nullam fecerit mentionem. » Ubi proin Glossa, §. *Nullam*, recte concludit: « Sic patet expresse, quod secundum privilegium debet facere mentionem de primo, ad hoc ut revocet illud. »

113. *Confirmatur, et exemplificatur conclusio hæc.* — Accedit ratio, quia secundum rescriptum, sive privilegium, censetur processisse ex ignorantia prioris: alias vel hujus mentionem fecisset, vel nullatenus concessum fuisset, ut in c. *Ex parte*, 12, de *Offic. delegat.*, juncto cap. I, et notatis per doctores de *Justit.* in 6. Unde istud exemplificando concludit Baldus, cap. I, n. 16, h. t., et Feli-

nus, cit. n. 10, quod si princeps concessit mihi immunitatem, et postea generali statuto, vel privilegio alteri concessio, imponit onera, non tollat meum privilegium, nisi de ipso fiat mentio derogatoriæ: idque ulterius probatur ex I. *Decurionibus*, C. de *Silentiaris*, lib. XXII.

114. *Solvitur instantia.* — Dices. Privilegium est lex privata, can. *Privilegia*, dist. 3; atqui, ut una lex derogat alteri, non est necessaria hujus mentio specialis, cit. cap. I, de *Constitut.*, in 6: ergo. Resp. minorem procedere in legibus communibus, utpote quas princeps habet in serinio pectoris sui, ut notatur cit. cap. I, et I. *Omnium*, C. de *Testament.* Secus est in legibus privatis, sive privilegiis; nam ob talium multitudinem princeps non censetur habere, nec potest habere memoriam omnium, sicut nec rescriptorum, cit. c. *Ex parte*, 12, de *Offic. delegat.* Glossa in c. *Veniens*, §. *Nullam de Prescript.*, ac proinde per posterius non videtur velle derogare priori: alioquin enim hoc expressisset, vel saltem in posteriori privilegio apposuisset clausulam sufficienter derogatoriam prioris.

115. *Conclusio patitur limitationes. Primum privilegium generale tollitur per secundum speciale.* — Fatendum tamen, quod licet data, n. 112, conclusio stet pro regula, sicque regulariter procedat; eadem nihilominus quasdam patiatur limitationes, seu fallentias, quarum sex enumerat Felinus, cit. cap. I, n. 11, ac seqq., h. t. Præcipua tamen, ac præ aliis notatu digna est hæc, quando primum privilegium fuit generale, secundum vero speciale: tunc enim speciale prævalet etiam non facta mentione prioris generalis, dummodo per hoc parti, vel tertiæ personæ necdum fuerit jus quæsitum. Ratio est: quia dicta conclusio, sive regula solummodo procedit data paritate privilegiorum respectu generalitatis, aut specialitatis, dum videlicet vel utrumque privilegium est generale, vel utrumque speciale: alioquin enim « Generi per speciem derogatur, » juxta reg. 34, juris in 6, sive dein species præcedat, sive sequatur, ut inquit Glossa ibid. et Abbas, cap. I, n. 14, h. t.; Barbosa, c. *Quamvis tibi*, 38, de *Præbend.*, in 6; Layman, loc. cit., n. 27 et alii.

116. *Notabile hujus exemplum.* — Exemplum hujus habetur, in c. *Quamvis tibi*, 38, de *Præbend.*, in 6, ubi primæ gratiæ generali, qua Pontifex in genere dederat Titio

potestatem conferendi sex beneficia, derogatur absque ulla prioris mentione per posteriorem gratiam specialem, qua Pontifex postea cuiquam specialiter mandavit de certo canonicatu provideri, adeo ut hunc canonicatum Titius conferre non possit: « nam (ut argumentatur Pontifex) primæ generali gratiæ tibi Titio factæ derogat posterior specialis, licet de illa non fecerit mentionem. »

117. *Dummodo per prius nondum fuerit cuiquam jus quæsitum. Papa non censetur jus quæsitum alicui tollere, nisi id exprimat.* — Additur notanter n. 115: « Dummodo per hoc parti, vel tertiæ personæ necdum fuerit jus quæsitum. » Siquidem præsumendum non est, quod Papa, vel alius princeps, per posterius speciale privilegium, absque majori examinatione et usæ, suæque voluntatis expressione, velit alicui præjudicium afferre, aut jus cuiquam quomodolibet quæsitum tollere, text. clar. c. *Quamvis is*, 8, de *Rescript.*, in 6. Quinimo ad præcludendas pravas quorundam suggestiones, oppositum solent Pontifices declarare, ac novissime declaravit S. D. N. Innocentius PP. XII. in reg. 18 Cancellariæ, quæ inscribitur: « De non tollendo jus quæsitum. » Concordat, c. *Ex tua*, 9, de *Filiis præbyti.*, ubi Pontifex dispensationem cum aliquo factam virtute privilegii dispensatori concessi, decernit non revocari, neque collationem beneficii exinde factam irritari posteriorum litterarum apostolicarum intuitu: quia videlicet dispensatis, et provisus, jam fuerat jus in beneficio quæsitum. Simile quid habetur, cit. c. *Quamvis tibi*, § fin. de *Præbend.*, in 6, uti colligere licet ex illis verbis: « Antequam tu conferas: » quia videlicet per collationem beneficii factam ab eo, qui conferre poterat vi privilegii, jus tertio quæsitum foret; sicque non amplius locum haberet collatio ejusdem, postmodum cuiquam per Papam specialiter facta, vel fieri mandata, de qua ibidem est sermo.

118. *Idque extenditur ad jus quæsitum ipsi privilegiato.* — Hoc ipsum procedit de jure quæsito ipsi privilegiato: nam si Papa per privilegium concesserat cuiquam omnes decimas alicujus parochiæ, et ipsi jam fuerat acquisitum jus in re ad singulas species, non amplius tali juri derogatur per posteriores litteras speciales absque alia expressione. Abbas, cap. 1, n. 10, h. t.; Layman, lib. 1, tract. IV, cap. xxiii, n. 27 et alii.

## § V.

## DE INTERPRETATIONE RESCRIPTORUM, NEC NON ET PRIVILEGIORUM.

119. *In omnibus rescriptis, atque privilegiis, si verba sint clara, ea intelligenda sunt secundum propriam significationem.* — Quæritur I. Qualis interpretatio in rescriptis præsertim justitiæ, seu ad lites, sit facienda? Resp. I. Generalim loquendo tam in rescriptis justitiæ, et ad beneficia, quam in litteris mere gratiosis, ipsisque privilegiis, quando verba sunt clara, ea intelligenda, atque interpretanda sunt secundum propriam significationem, et communem usum loquendi. Ita Abbas, in c. *Causam quæ*, num. 1, et c. *Nonnulli*, n. 3, h. t. Innocentius, Bartolus, et alii communiter. Nam ut l. *Ille aut ille*, 23, ff. de *Legatis* III, dicitur, « Cum in verbis nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæstio. » Et l. *Non aliter*, 67, ff. eod. ibi: « Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est aliud sensisse testatorem. » Idem igitur, et quidem a fortiori, dicendum erit de rescriptis, seu litteris supremi principis, c. *Ad audientiam*, 12, de *Decimis*: ubi proin Glossa fin. infert, ac pluribus aliis allegatis juribus probat, « quod a forma verborum sine certa scientia non est recedendum. » Concordant dicta superius, tit. præc., § 16, num. 389 et seqq., agendo de regulis in legum interpretatione observandis, quæ una cum suis limitationibus, ac declarationibus (servata tamen proportionem) huc applicanda erunt. Et hæc sunt certa, et communiter recepta; prout amplius ostendit Barbosa, axiomat. 222, num. 4 et seqq. Quid autem sit dicendum in dubio, oportet de singulis seorsim loquendo, clarius exponere. Hinc,

120. *In dubio rescripta justitiæ sunt interpretanda secundum jus commune.* — Resp. II. Loquendo speciatim de rescriptis justitiæ, seu ad lites, hæc in dubio, atque ubi de contraria principis intentione, et voluntate non constat, debent intelligi, ac interpretari secundum jus commune, ita ut quam minimum ab eo recedatur, etiamsi oporteat id facere per impropriationem verborum, ac transpositionem clausularum. Ita desumitur, ex c. *Causam* quæst. 18, h. t., ubi circa hoc habetur casus, et decisio singularis, ac notat ibidem Abbas, n. 1; Felinus, n. 9; Fagnanus, n. 4

## § V. DE INTERPRETATIONE RESCRIPTORUM, NEC NON ET PRIVILEGIORUM. 237

et alii communiter. Ratio est, quia rescriptum justitiæ conceditur ad juris observantiam, nec debet aliquid continere contra jus commune: alioquin enim, vel non valet, c. *Rescripta*, 23, q. 2, vel, si constet de contraria voluntate concedentis, mutat nomen rescripti, et transit in privilegium, juxta Glossam, cap. 1, §. *Noscat.* de *Constitut.*, in 6. Ergo in dubio, et quando non patet de alia mente concedentis, debet rescriptum ita intelligi, ut non obviet juri communi, neque operetur contra naturam suam.

121. *Eaque sunt strictæ interpretationis, neque extendenda ad casum, vel personam non expressam.* — Resp. III. Insuper rescripta justitiæ sunt strictæ interpretationis, ac proinde ad casum, vel personam in rescripto non expressam, minime extendenda. Ita Glossa, in c. *Nonnulli*, 26, §. *Lites restringendæ*, h. t. Felinus, in d. c. *Causam quæ*, n. 8, h. t., asserens, quod rescripta ad lites sint strictius interpretanda, quam rescripta ad beneficia ecclesiastica; Pirhing, h. t., n. 17 et alii. Ratio est, quia per rescripta ad lites detrahatur jurisdictioni judicium ordinariorum; simulque per ea præbetur ansa, et materia litigandi; ergo merito censeri debent esse odiosa, sicque restringenda, nec extendenda ultra casus, et personas expressas: cum « lites restringendæ sint potius, quam laxandæ, » cit. c. *Nonnulli*, § *Cum autem*.

122. *Sub clausula, et quidam alii, in rescripto justitiæ non comprehenduntur personæ majores, et digniores expressis.* — Sequitur proinde primo, quod si quis obtinuerit rescriptum, in quo sunt designatæ personæ minores, vel viliores, quas in judicio convenire valeat, addita clausula generali, « Et quidam alii: » vi hujus clausulæ non possint conveniri personæ majores, vel digniores, sed solummodo pares, vel minores expressis, text. clar., c. *Sedes apostolica*, 13, h. t. Et quod hic dicitur de personis, pariter procedit de rebus, seu causis; adeo, ut si in rescripto designentur causæ, seu res leviores, addita clausula, « Cognoscatis super his, et quibusdam aliis: » vi hujus non possint cognosci res, et causæ majores, seu graviiores expressis, cit. c. *Sedes*, § *Nec super*. Et merito: nam dictio *Alius, Alia*, ex propria sua significatione stat implicative, et est repetitiva similium; sicque in proposito non involvit personas, res, vel causas majores expressis, sed solummodo pares aut minores: alioquin quippe rescripta ad

lites non restringerentur, sed nimium extenderentur.

123. *Neque effrænata multitudo.* — Sequitur ulterius, quod sub dicta generali, et indefinita clausula, « Et quidem alii, » non comprehendatur effrænata multitudo, ut cit. c. *Sedes apostolica*, notatur. Quia imo, ne lites nimium laxentur habenæ, provide, cap. II, h. t., in 6, statuitur, ut per illam generalem clausulam, « Quidam alii, » quæ frequenter litteris apostolicis inseritur, solummodo tres, vel quatuor personæ in judicium trahi, seu conveniri possint: simulque horum nomina in primo citatorio teneatur impetrator exprimere, ne locus fraudibus forsitan relinquantur, si circa ipsas posset libere variare.

124. *Per rescriptum impetratum contra homines diœcesis, v. g. Sagiensis, non possint conveniri homines civitatis Sagiensis. In materia, strictæ interpretationis, nomine diœcesis non comprehenditur civitas.* — Sequitur tertio, quod per rescriptum impetratum contra homines certæ diœcesis, v. g. Sagiensis, non possint conveniri homines civitatis, v. g. Sagiensis; prout decisum habetur, c. *Rodolphus*, 33, h. t. Ratio est, quam indicat Abbas, ibid., n. 4. Quia in materia strictæ interpretationis, appellatione diœcesis non comprehenditur civitas; licet secus sit in materia larga, et favorabili, vel saltem indifferenti, cap. un., juncta Glossa, §. *Diœcesi*, de *Rerum permutat.*

in 6, et c. *Cum episcopus*, 7, de *Offic. Ordin.*, in 6. Atqui materia rescriptorum ad lites est odiosa, et restringenda, ut dictum; ergo.

125. *Nec per rescriptum impetratum contra hominem unius diœcesis, potest conveniri homo alterius diœcesis.* Sequitur tandem, et quidem a fortiori, quod per rescriptum impetratum contra hominem unius diœcesis, non possint conveniri homo ejusdem nominis alterius diœcesis; prout habetur, c. *Significante*, 34, h. t. Siquidem rescriptum non extenditur ad personam in eo non expressam, ut loquitur Abbas, ibid., n. 1. Et quia non infrequens est, quod plures vocentur eodem nomine, expressa alia diœcesi non constat de corpore personæ, sive quod rescriptum fuerit impetratum contra hanc numero personam, quæ est alterius diœcesis; ac proinde erroriste versatur circa substantialia. Verum de errore in nomine diœcesis, plura inferius, h. t., n. 221 et seqq.

126. *Rescripta gratiæ, et ad beneficia, qualiter sint interpretanda.* — Quæritur II. Qualiter in dubio interpretanda sint rescripta gratiæ